



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

853. An Episcopus auctorizare & expedire possit permutationes existens in Curia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Quaestio 851. An igitur præscindendo à præscriptione & consuetudine, Prælati & Collatores inferiores, carentes jurisdictione quasi Episcopali (quin & potestate destituendi) permutationibus eorum beneficiorum, quorum ipsi ordinarii Collatores sunt, non requisito consensu Episcopi, auctoritatem nullatenus præstare valeant?

Respondeo primò; Communem, & in praxi servandam sententiam habere, quòd id nullatenus possint. Pirh. Castrop. Suar. ll. pauld supra cit. Chok. de permut. p. 1. c. 6. n. 1. citans Navar. conf. 97. n. 2. de simon. Rebuff. in pr. cit. de permut. n. 20. &c. Verumtamen oppositum, nempe quòd id possint hi inferiores, tenent Angel. v. permut. n. 5. Sylv. v. permutatio. q. 2. Sotus l. 9. q. 5. a. 2. & q. 7. a. 2. apud Castrop. cit. n. 6. quam sententiam non omni probabilitate carere ait Pirh. cit. n. 26. quamquam dicat, oppositam in praxi communiorè & tutiorè esse, & tenendam. Eandem sententiam ut verè probabilem defendit Castrop. citatusque ab eo Suar. de simon. l. 4. c. 32. n. 14. Idque argumento c. univ. de rer. permut. in 6. ubi approbatio & consensus Episcopi requiri videtur tantum in permutatione beneficiorum, quæ ipse conferre potest, secus in aliis, dum dicitur: *Qui secundum formam juris sua beneficia in eadem Diocesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, liberè, & sine fraude in manibus tuis resignent. &c.* Confirmat idipsum Castrop. hac ratione, quòd consensus & auctoritas Episcopi in permutationibus ideo spectetur; quia sine illo nec resignatio beneficii, nec alterius obtentio fieri possit; adeoque, cum possit absolutè beneficium resignari & conferri sine consensu Episcopi; dum nimirum ejus collatio & institutio non spectat ad illum, non sit, cur dicamus, ejus consensum esse necessarium ad dictorum beneficiorum permutationem. Verùm hoc ipsum probandum esset à Castrop. quòd simpliciter resignari possit beneficium sine consensu Episcopi coram alio Collatore, destituto jurisdictione quasi Episcopali, & potestate destituendi, præscindendo à legitima præscripta consuetudine; quod supra negavimus. Ad illud etiam, quod addit Castrop. confirmationis alicujus loco, quòd Prælatus ille, ad quem spectet collatio beneficiorum illorum, vel ex hoc ipso, seu in hac parte habeat jurisdictionem Episcopalem; eò quòd collatio beneficiorum propria sit Episcopo, juxta c. omnes Basilica. 19. q. 7. & vel sic nomine Episcopi comprehendi possit, ad illud inquam dici potest, quòd neque collatio beneficiorum sit actus, neque potestas conferendi sit pars propria jurisdictionis, sed facultatis alicujus distinctæ, ut vidimus supra, ubi, quid sit collatio. Inhzrendo itaque sententiæ communiori,

2. Respondeo secundò in specie: Secluso privilegio, præscriptione, consuetudine, non posse permutationibus præbere auctoritatem Præpositos, Decanos, Archidiaconos, Archipresbyteros. De quo vide dicta supra, ubi, an tales recipere valeant resignationes. Porro tametsi tales inferiores Collatores ordinarii regulariter præbere nequeant auctoritatem permutationibus, consensus tamen eorum requiritur, nec aliàs expediri potest ab Episcopo permutatio. Less. l. 2. c. 34. n. 197.

Chok. de permut. p. 1. c. 6. n. 5. citans Felin. in c. cum Bertholdus. col. 5. de rer. judic. juxta dicta à nobis supra. Quodsi tamen talis inferior Collator requisitus consentire noluerit, posse eum cogi, modò permutatio utilis sit Ecclesiæ, ait Chok. ibid. n. 6. citans Less. ubi antè, n. 198. ubi tamen is solum loquitur de Patrono. De quo, uti & de Collatoribus vide plura supra.

Quaestio 852. An Episcopus alteri delegare possit potestatem suam auctorizandi permutationes beneficiorum?

Respondeo affirmativè. Chok. de permut. p. 1. c. 11. n. 1. Neque obstat textus c. deliberatione. §. prohibemus. de off. Leg. in 6. ubi dicitur, inferiores à Papa non posse committere alicui, ut recipiat resignationem beneficii, & postea illud conferat, ne aperiatur via contra Concil. Lateran. ad beneficia vacatura; nam in receptione resignationum permutationis gratiâ, & collatione beneficiorum affectorum compermutantibus cessat ratio citati §. & Concil. Lateran. nempe vorum captandæ mortis. Chok. loc. cit. qui etiam n. 4. ex Paris. l. 7. q. 29. n. 3. subjungit, posse quidem Episcopum Vicario, aut Officiali Generali delegare in genere potestatem conferendi beneficia vacatura, & recipiendi resignationes, non tamen id committere singulari personæ de singulari aliquo beneficio vacaturo, ne aperiatur via ad vacatura contra cit. §. prohibemus.

Quaestio 853. An Episcopus auctorizare, & expedire possit permutationes existens in Curia?

Respondeo negativè: Tametsi enim beneficiorum resignationes recipere possit existens in Curia; quia id est voluntariæ jurisdictionis; beneficia tamen resignata, quia hoc ipso, quòd resignentur coram Ordinario existente in Curia, vacant in Curia, & vel hinc reservata sunt Papæ, conferre non potest, adeoque non expedire permutationem, quæ resignationem & collationem includit, Paris. l. 7. q. 13. n. 23. juncto n. 25. & ex eo Chok. loc. cit. p. 1. c. 10. n. 2. Poterit tamen, ubi resignatio facta est coram eo existente extra Curiam, in sua, vel aliena Diocesi, existens dein etiam in Curia beneficia resignata conferre, & per consequens expedire permutationem. Chok. loc. cit. n. 3. Paris. loc. cit. n. 26.

Quaestio 854. Quorum beneficiorum permutationes auctorizare non possit Episcopus?

Respondeo sequentium: Primò reservatorum Papæ, utpote quæ conferre non possunt Ordinarii. Chok. de permut. p. 2. c. 3. n. 1. Castrop. de benef. cit. §. 3. n. 6. Azor. p. 2. l. 7. c. 29. q. 16. Garc. p. 11. c. 4. n. 82. citans Tusch. conclus. 307. lit. p. Mantic. de tacit. & ambig. contradi. l. 25. cit. 9. à n. 12. quamvis Garc. ibid. n. 84. dicat, Gamb. in c. 1. de rer. permut. in 6. n. 33. docere contra omnes cum Azone de Ramengis, quòd vi specialis reservationis non impediatur permutatio beneficiorum sic specialiter reservatorum. De quo vide dicta supra, ubi, an reservata permutari possint. Poterunt tamen in quolibet mente beneficia permutari coram Episcopis, & hi admittere resignationes factas in favorem causæ permutatio-